

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 2091

**Auteur(s) :** Innocent III [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Évreux, Saint-Taurin (abbaye)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1210, 31 mars

**Lieu d'émission :** Latran

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Le pape Innocent III (et non pas Innocent IV, son successeur, suivant l'erreur évidente du Cartulaire de Saint-Taurin), confirme les donations faites à l'abbaye de Saint-Taurin d'Évreux, entre autres celles des églises d'Elbeuf, de Caudebec, de Louviers et de Pinterville.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bonnin Théodore, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CCI, p. 239-245.

## Dissertation critique

Le texte est pris d'après le Grand Cartulaire de Saint-Taurin conservé aux Archives de l'Eure, fol. CCLXXVII r ° qui date cet acte, erronément selon Th. Bonnin, de 1254. Th. Bonnin remarque : « l'inadverntance du copiste lui a fait attribuer au pape Innocent IV et à l'an 1254, le onzième de son pontificat, cette bulle qui fut certainement délivrée par Innocent III, son prédécesseur, dans l'année 1210. » (BONNIN, Cartulaire de Louviers, t. 1, p. 239).

Texte établi d'après a

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatii et conventui Sancti Taurini Ebroicensis, tam presentibus quam futuris, ordinis Sancti Benedicti, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, prefatum monasterium in quo divino mancipati estis obsequio, regularem vitam professi, cum omnibus ecclesiis infra nominandis sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presenti scripto privilegio communimus. Statuentes quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium in presentiarum juste et canonice possidetis aut in futurum concessionem pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant.

In quibus hec propriis duximus exprimenda verbis : Specialiter autem thelonium civitatis Ebroicensis, vicecomitatus, et hospites in eadem villa, cum libertate et burgum monasterio vestro propinquum, terram cum aqua ; in silva Ebroicensi ligna necessaria ad usus quoslibet monachorum, et proprietorum porcorum pasturam ; et ibi prope villam que dicitur Paterville, et dimidiā terram Isnelmainsil et medietatem proventuum, cum jure patronatus Sancti Aquilini. In pago Ebroicensi, de Wellebue et de Caudebec et de Loviers et de Pinterville ecclesias, cum

decimis pertinentibus ad easdem et hospitibus multis vestro monasterio servientibus. In Secana tractum unum, et in Actura duos ; pescationes molendinorum de Loviers, et .xla. solidos in molendinis Rodolis. In nemore quoque de Loviers, ligna ad omnes usus monachi ibidem morantis necessaria, et ad proprios porcos pasturam ; libertatem etiam in curia vestra in hominibus vestris monasterio vestro a clare memorie Ricardo, duce Normannie, quantam ipse in suis hominibus in curia sua habebat concessam. In pago quoque Constantini, Periers et Milieres et Wandimesnil et que ad illas pertinent ab eodem duce pia vobis libertate donata. In Lisvino, terram apud Martinvillam et apud Ulmeia et apud Mollas unde plurimorum vavassorum servitium redditur monachis, et liberas consuetudines quas idem dux per totam terram suam monasterio vestro concessit. In festivitate quoque Sancti Taurini, nundinas totius civitatis Ebroicensis et omnes consuetudines illius diei. Ex dono quoque Willelmi de Paceyo, terram de Kesigne. In Pinterville, terram quam habuit Hugo filius Hubaldi de Paceyo, et quam Hugo Burse et Thebaldus presbiter habuerunt. Ecclesiam quoque ejusdem ville cum omnibus pertinentibus ad eamdem, nec non terram ex utraque parte ipsius ecclesie triginta duas perticas continentem, et ibidem tantum alterius terre quantum possunt arare quatuor boves in anno, et etiam silvam ipsius ville cum decima ad prefatam ecclesiam pertinente, ac terram quam in eadem silva habuit quondam Rogerius Gelinnel, terram etiam sitam juxta ecclesiam ; terram que Siconia dicitur et ecclesiam positam in eadem et pasturam proprietum porcorum monachi apud eandem ecclesiam residentis ; De Apvrilly, de Garrel, de Plesseio, de Grohan, de Vachaeres decimas. Ecclesiam de Sicey cum decima loci ejusdem, quinque acras terre cum duobus hospitibus et decimam molendini qui dicitur Mareschal apud Ebroas ; decimam Grandis Silve et ejusdem loci ecclesiam et sex acras terre in eadem villa cum terra ad hospitandum. Ecclesiam de Berou cum decima et Sancte Trinitatis ecclesiam cum terra ad duos boves ; decimam del Mesnil et ecclesiam Sancti Martini cum decima ; necnon decimam de Petroca ; necnon de Saceyo et de Mulcent. Item de Univilla et terram et de terra Veterum Ebroicarum decimas. Et item terre quondam Astonis de Sancto Albino et terra que vocatur Corthins decimas. Ecclesiam de Nemore Gencelini cum decima et quatuordecim acras terre, et pasturam pecudum monachorum intra et extra silvam loci ejusdem. Decimam molendinorum Normanville ac unum modium frumenti annum ac alterum braisi, ex dono Rogerii de Bellomonte. Item molendini de Belmontel et ejus quod est subtus civitatem Ebroicensem, necnon illius quod est sub muro civitatis ejusdem, et illius quod est apud Sanctum Germanum ; necnon molendinorum de Glisolles et ville de Thille et ville que dicitur le Plessert Heberti decimas. In villa que dicitur Bois Mahiart terram ad unum aratum et sex acras terre apud Isnemnenil ; partem silve in territorio Sancti Germani. Ecclesiam Sancti Laurentii ville que dicitur Campania, cum omnibus que ad eam pertinent. Et in circuitu ecclesie ex omni parte viginti perticas terre ad hospitandum homines, et terram ad excolendum cum octo bobus, et de silva ejusdem loci quantum necesse est ad usus monachorum ; et in ipsa silva pasnagium porcorum proprietum et hominum ecclesie ejusdem. Item ibidem quinque jugera prati et culturam que dicitur Cultura Hersendis et terram ad unum bovem. Capellam sitam inter castellum de Illiers, piscium (sic) stanni, necnon et terram continentem ad hospitandum et laborandum ; theleoni quoque ac transitus decimam, et etiam decimam de Croise cum ejusdem loci ecclesia. Apud Paceym ecclesiam Sancti Anthonini cum pertinentiis suis. Decimam etiam terre quondam Rogerii piscerne de Normanvilla et medietatem decime de Waldrevilla, apud Maheruel decimam terre quondam Willelmi Sancti Germani, terram de Geriel et ibidem centum acras terre cum integra decima ville.

In Anglia, villam que dicitur Heseleia cum omnibus pertinentibus ad eamdem. Apud Coherium ecclesiam Sancti Kenedi et terram ad duo aratra, et decimam ejusdem ville. Longuerie et locum aptum ad molendinum et necessarium ad omnia in silva loci ejusdem ; necnon et decimas omnium reddituum comitis de Warvic et de omni dominio suo, de Thanum quoque et de Pennart, necnon de Insula ecclesias cum decimis pertinentibus ad easdem.

Apud Longuam Villam consuetudines totius terre ac vinearum quondam Gaufridi prepositi et Hermengardis ac terram quondam Augerii, duas acras terre in warennae et decimam culture quondam Petri, in busco et in vale Grimoldi et in Cantapica et apud Sanctum Remigium decimas. Totam hereditatem quondam Heberti, monachi monasterii vestri ; bisduales nundinas que fiunt in secunda dominica post Pentecostem et in die lune sequenti. In civitate Ebroicensi, quinque enim molendinorum in parrochia Sancti Germani, de Lisle, ac Caitivel decimas et aquam Sancti Germani et omnem pescationem et nansas ejusdem aque. Decimam de Angerville et medietatem ville que dicitur Buisson Amaulry. Ex dono etiam Radulphi Ebroicensis, duos homines cum domibus et decem solidos annuatim de Teleil et molendini de Belmontel, de Mesnil Hoton, de Maihureuel, de Bosco Gencelini et molendini de Grothel decimas et medietatem aque et ville illius que dicitur Berengevilla. Apud Sanctum Germanum etiam tres acras terre et ecclesie de Milleris possessiones.

Preterea terras, vineas, nemora, prata, molendina, furnos, aquas, piscarias, redditus et alia que supra expressa sunt et que a quadraginta annis usque ad hec tempora juste et sine controversia tenuistis et nunc pacifice possidetis.

Sane novalium vestrorum que propriis manibus aut sumptibus colitis, seu de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat.

Liceat vobis clericos quoque et laicos a seculo fugientes liberos et absolutos ad conversationem vestram et eos absque contradictione qualibet retinere.

Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum fas sit post factam in eodem loco professionem, nisi arctioris religionis obtentu, sine sui abbatis licentia de monasterio ipso discedere ; discedentem vero absque communium vestrarum literarum cautione nullus audeat retinere.

In parochialibus vero ecclesiis quas habetis liceat vobis sacerdotes eligere, cum vacaverint, et diocesano episcopo presentare quibus, si idonei inventi fuerint, episcopus curam animarum committat ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus, debeant respondere.

Libertates etiam et immunitates a Rothomagensibus archiepiscopis, Ebroicensibus et aliis episcopis, vobis pia devotione indultas et usque ad hec tempora sine controversia conservatas, ratas habemus et auctoritate apostolica confirmamus.

Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis, interdictis, non pulsatis campanis, supressa voce divina officia celebrare.

Sepulturam preterea loci ipsius liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extreme decedentium voluntati qui se illic deliberaverint, nisi forte excommunicati sint vel interdicti, nullus obsistat, salva tamen justicia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbatte vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualiter surreptionis astucia seu violencia preponatur, nisi quem fratres communi assensu vel fratrum major pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam, providerint eligendum.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare vel ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibusdam vexationibus fatigare, sed omnia integra et illibata serventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et diocesani episcopi canonica justicia.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam, sciens, temere venire tentaverit, secundo terciove commonita, nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, iramque se divino judicio existere de perpetrata iniuitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Ihesu Xristi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Ihesu Xpisti quatinus et hic fructum bone actionis percipient et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant, amen.

(Et conscribitur in margine mediocri uno in rotundo circulo, in grossa littera quod sequitur :)

PETRUS PAULUS

INNOCENTIUS PAPA QUARTUS (sic, l. : TERTIUS)

(Et in littera minori, incipiendo prope signum crucis inter lineari rotulo.)

Fac mecum, Domine, signum in bonum.

(Et in inferiori illius rotuli conscribitur que sequuntur, quatuor in lineis :)

Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus.

(In secunda)

Ego Octavianus Hostiensis et Velletrensis episcopus.

(In tercia)

Ego Petrus Portuensis et Sancte Rafine episcopus.

(Et in quarta linea)

Ego Johannes Albensis episcopus.

(Et in margine superiori per ordinem decem linee quarum tenores subsequuntur et que cyrographantur crucibus variis in superiori parte et cyrographis manualibus in inferiori parte.)

(Prima)

Ego Pandulfus Basilice XII Apostolorum presbiter cardinalis.

Ego Petrus tituli Sancte Cecilie presbiter cardinalis.

Ego Jordanus presbiter cardinalis Sancte Prudentiane tituli Pastoris.

Ego Guido Sancte Marie trans Tiberim tituli Calixti presbiter cardinalis.

Ego Hugo presbiter cardinalis Sancti Martini tituli ejusdem [sic, l. : Equitii].

Ego Johannes tituli Sancti Stephani in Celio monte presbiter cardinalis.

Ego Cintus tituli Sancti Laurentii in Lucina presbiter cardinalis.

Ego Soffredus tituli Sancte Praxedis presbiter cardinalis.

Ego Bernardus Sancti Petri ad Vincula presbiter cardinalis tituli Eudoxie.

Ego Johannes tituli Sancte Prisce presbiter cardinalis.

(Et in inferiori parte in octo lineis :)

Ego Gratianus Sanctorum Cosme et Damiani diaconus cardinalis.  
Ego Gregorius Sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis.  
Ego Gregorius Sancte Marie in Acturro diaconus cardinalis.  
Ego Gregorius Sancti Georgii ad Vulum Aureum diaconus cardinalis.  
Ego Nicolaus Sancte Marie in Cosmidin diaconus cardinalis.  
Ego Bobo Sancti Theodori diaconus cardinalis.  
Ego Centi Sancte Lucie in Orchea diaconus cardinalis.  
Ego Hugo Sancti Eustachii diaconus cardinalis.  
Datum Laterani, ij<sup>o</sup> kal. aprilis, pontificatus nostri anno undecimo.